878.11

DISSERTATIO

INAUGURALIS PRACTICO-MEDICA

DE

BALLISMO,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM ATQUE CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:

CAROLUS RICHTER,

BOHEM. ZEBUS.

MEDICUS CASTRENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae die . mensis Maji anni 1838.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

K. u. k. Militär-Ärztliche Bibliothek

Standort			Katalog		
	Zimmer			Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	

Qui fragilem longe cupimus producere vitam,
Luxuria cur breviamus iter?
Nolumus et volumus produci tempora vitae,
Nolumus a nobis, malumus a medicis.

Oweni Epigram. Lib. III.

PARENTIBUS OPTIMIS

gratissimus filius.

Notio.

Ballismus (*α βαλλιζειν*, subsilire, saltare) sec. *Swediaur*, Chorea Sancti Viti plerisque dictus, insignit nevrosim, spasmis clonicis utplurimum universalibus faciem praesertim et extremitates occupantibus sese manifestantem, quibus, conscientia persistente, motus corporis producuntur insoliti gesticulatorii, admodum varii, ac summe saepe mirandi, agitationum adinstar petulantium choreas nonnunquam et tripudia aemulantes, sub somno autem plerumque cessantes.

Conspectus morbi historicus.

Medicis veterum morbus modo descriptus haud innotuisse videtur. *Hippocrates* quidem atque *Galenus* in operibus suis [1] affectionis nervosae sub nomine sceloтyrbes (*σκελος* crus et *τυρβη* turba) mentionem faciunt, quam inter et nostrum Ballismum *Sauvages* [2] maximam defendit analogiam, cujus tamen asserto plures ipsius *Galeni*, *Strabonis* [3] et *Plinii majoris* [4] loci repugnant, quibus illa secundum plurimorum auctorum opiniones qua clandicatio scorbutica extra dubium ponitur.

---

[1]) *Hippocrates* in Libr. Praenot. 11. Genev. 1657. *Claud. Galeni* Isagog. Libr. Finit med. Basil. 1537. p. 297.

[2]) Nosolog. Method. Tom. I. p. 590. Editio Amstelod. 1768.

[3]) Libr. Geograph. Paris 1620. XVI. p. 781.

[4]) Histor. natur. Libr. XXV. cap. III.

Saeculo demum decimo quarto, generi humano tot aerumnis insidioso, prima hujusce morbi emergunt indicia.

Anno enim 1374 *Bzovius* et *Raynaldus* [1] morbum in Germania exortum fuisse narrant, quo viri foeminaeque sine aetatis discrimine correpti, in choreas cogerentur furentes, donec spumantes, vestimentis abjectis, et viribus exhaustis corruerent, abdomine per tympanitidem rupto diem obituri supremam, ni aut hoc fortissima ligatura constricto aut violenter percusso miserae suae sorti ultra rederentur.

Morbus hicce teter temporibus istis superstitiosis diaboli praestigiis provocari, ipsique aegrotantes orci genio obsessi credebantur. Ideo non artis medicae quaerebantur auxilia, sed ad Sanctorum, quibus hostis infernalis expelleretur, miracula plebs credula confugiebat. Primo Sancti Joannis fama inclaruit, qui post saltum necatus, contra saltum plurimum valere praedicabatur, indeque Chorea Sti Joannis est dictus. Cognomen autem Sti Viti testante *Horstio* [2] a sacello Sti Viti prope Ulmam sito obtinuit, quo mulieres hoc malo laborantes mense quovis Majo gregatim se contulisse refert, hic inter saltandum salutem quaerentes; secundum alios vero idem a Scto Vito monasterii Corbojensis patrono miraculis eo tempore per Germaniam claro, derivandum venit. Nec minus Choreae Scti Modesti [3] nomine eundem morbum divulgatum fuisse, tradidit cum aliis *Junker* [4].

Verum tamen cum Ballismus ab eo inde tempore nonnisi sporadicus, isque in individuis junioribus plurimum ob-

---

[1]) Annal. Eccles. Anno 1374. Tom. XVI. Nr. XIII.

[2]) Epist. et Consult. Med. Lib. Sect. III. p. 374.

[3]) A Sct. Modesto, qui cum Sct. Vito simul martyrium subivit.

[4]) Conspect. Pathol. et Semiot. ad dogm. Stahl. in form. tab. Halae Magdeb. 1736.

servaretur, *Haase* [1], *van Hagen* [2], et alii malum modo commemoratum cum Raphania magis, quam Ballismo convenire credunt, idque fors et eo, quod in istis regionibus illam saepius saevisse *Gregorius Horstius* [3] affirmat.

At Raphaniae symptomatibus cum hocce morbo collatis, vim hujus impetuosam vesaniae potius cujusdam cum ipso complicationi, quam morbo illi tristi vix situm erectum afflictis concedenti adscribere praetuleris.

Ballismum nec saeculo decimo sexto defuisse perhibet inter alios *Reinerus Solenander* [4], qui morbi convulsivi historiam nobis reliquit, symptomatibus cum objecto nostro vix non omnibus congrui. Ipse quidem insolita ejus admirans symptomata novam in his morbi formam non deprehendit, eum tamen ab Epilepsia differre ingeniose notavit.

Paracelsus [5] tres hujusce aegritudinis, quam Vitistam nominabat, distinxit species, Vitistam nimirum imaginativam, qualis prima populum perculit, Vitistam lascivam meretricum, his imprimis amicam, et Vitistam denique naturalem seu coactam, Ballismo temporis nostri simillimam.

Suppeditarunt praeterea relationes de Ballismo egregias *Felix Plater* [6] et *Daniel Senert* [7].

---

[1]) Ueber die Erkenntniss und Cur der chron. Krankheiten. Wien. 1830. Bd. 2. S. 164.

[2]) Handbuch der praktischen Heilkunde. Heilbron 1805. Bd. 2. Cap. 14.

[3]) Observat. Med. sing. Lib. IV. Ulmae 1625. Lib. II. p. 152.

[4]) Consil. Med. *Reineri Solenandri*, Sect. V. Francof. 1596. Sect. IV. Cons. II.

[5]) *Philipp. Theophrast. Bombast.* ab *Hohenheim Paracelsi*, Opera. Francof. ad M. 1603. part. 7. 4. Nach Theoph. Handschrift. Pars 4. De morb. ament. tr. II. cap. III. p. 42.

[6]) Observat. Lib. III. Basil. 1680. 8. Lib. I. p. 87.

[7]) Pract. Med. Lib. I. p. II. c. XVII. p. 448.

Primus autem omnium immortalis *Sydenham* [1] medico hunc morbum observasse ingenio, eumque sub nomine Choreae Sti Viti exactius descripsisse merito celebratur. Hunc et plurimi Angliae secuti sunt medici, uti: *Dover* [2] *Mead* [3] *Fothergill* [4] *Andree* [5] *Bisset* [6] multique alii, quos tamen leviorem nonnisi gradum tractasse cel. *Wichmann* [7] acute discrevit.

Sed non ubique, nec omni tempore tantam in se convertere medicorum attentionem huic morbo contigit, imo qui eum penitus oblivioni traderent, et quamquam saepius observatum, spasmis, convulsionibus, epilepsiae, somnambulismo, raphaniae, aut aliis nevrosibus adnumerarent, non deerant, uti ex *Fr. Hoffmanni* aliorumve coaevorum scriptis dilucide patet.

Sic saeculi elapsi altera jam parte *Lieutaud*, Ludovici XV. regis Galliae archiater, num morbus Chorea St. Viti dictus revera existeret, in concione medicorum publica in dubium vocavit.

Auctis vero novissimis temporibus per casus frequentiores et graviores strictissime observatos circa hunc morbum experientiis, promulgatisve de eo monographiis egregiis, nec non dissertationibus bene multis, firma atque distincta ejus notio in dies magis inclaruit, licet ei diversa, prout diversis auctoribus placuit, indita fuerint nomina. Sic: Saltus St. Viti sec. *Plater;* Seclotyrbe

---

[1]) Opera omnia Med. Genev. 1698. 8. Schedula monitor. de novae febris ingressu; p. 605.

[2]) The ancient. Physicians. legacy to his country p. 45.

[3]) Opera Tom. I. p. 32.

[4]) Philosoph. Transact. ad ann. 1779. p. I.

[5]) Cases of the Epilepsie, Hysterie and St. Viti Dance, by *J. Andrée*. London 1746.

[6]) Versuche und Bemerk. in der Arzneyk. a. d. Engl. v. *Müller*. Brest 1781. S. 142.

[7]) Ideen zur Diagnostik. 2. Aufl. Hannover 1800. Th. 2.

instabilis et Tarantismus enteneasmus sec. *Sauvages*; Choreomania sec. *Plouquet*, Orchestromania et Chorea St. Modesti sec. *Junker*; Morbus gesticulatorius sec. *P. Frank*; Epilepsia gesticulatoria sec. *Becker*; Epilepsia saltatoria, gyratoria, Hieranosis sec. *alios*; Gesticulatio spastica sec. *Spangenberg*; Morbosa irritabilitas, involuntarii motus musculares κατ' ἐξοχην sec. *Schaeffer* et *Pfündt*; Chorea autem St. Viti sec. *Sydenham* et plurimos auctores appellari consuevit. *Anglis* hic morbus: Vitus's Dance, St. Vits Dance; *Gallis*: Danse de Saint-Guy, Chorée sive Danse de Saint-Vit; *Italis*: Ballo di Santo Vito, Carnevaletto delle donne, Oestro di ballare, Danza di S. Vito; *Germanis* vero: Veitstanz, Vitstanz, Modestitanz, Tanzkrankheit dicitur.

Equidem morbi denominationem simplicissimam, usu publico in clinicis receptam, ut retinerem non haesitavi.

Nosographia.

Ballismus rarissime, ac non nisi terrore, ira, aut alio vehemente animi pathemate provocatus repente intrat, in casibus longe plurimis paulatim evolvi, suisque prodromis stipari solet, inter quos plerumque censentur:

Singularis animi dispositio, sive hilaritate insolita, oculorum splendore, loquacitate nimia, motuumque muscularium agilitate et vivacitate; sive morositate, timiditate et melancholia, laetitiam praegressam utplurimum excipientibus sese manifestans. Capitis praeterea dolor et temulentia, sensus tensionis in regione frontali, nec non frontis rugatio, et nictitatio frequens, involuntaria oris diductio, risus et fletus absque causa nota, oppressio pectoris, suspiria, cardiopalmus, cum pulsu parvo et spastico, praecordiorum inflatio, anorexia, nausea et vomituritio saepe iterata, dolores articulorum vagi, horrores cum aestu al-

terni membra percurrentes, anceps inde incessus, et facilis aegrorum in terram lapsus, quin conscientia tamen obnubiletur.

Haec, quodsi in junioribus obveniant, quos infestare praediligit, facile cum petulantia infantili, consuetudine prava, aut animi quodam motu, haud raro in aegri damnum, commutantur, summamque proinde circa infantes versantium attentionem merentur.

Phoenomenis modo enumeratis itaque aut omnibus aut plurimis varia in variis individuis combinatione, intensitate et duratione praegressis, morbus ipse musculis pedetentim plurimis in compassionem tractis perfecte evolutus, scenam aperit.

Caput enim nunc miris movetur modis, et veluti pondere solo in unum alterumve flectitur latus, retrahitur modo versus scapulas, modo in thoracem demittitur, attolliturque vicissim, modo tamquam negantis movetur in arcum. Deprimitur et levatur capillicium, rigent et attolluntur capilli, rugatur frons et explicatur alterne, contrahuntur modo supercilia in indignantium morem, modo in altum tolluntur, nictitant palpebrae fere indefessim, sicuti illis, qui photophobia laborant, bulbus jam rotatur, jam vario modo distorsus fixus tenetur, pupilla vel angustata vel dilatata adparet, accusatur nonnunquam diplopia, subinde photopsia, vel etiam visus nebulosus; os vel diductum, vel cum dentium stridore clausum, vel aurem aut tempora versus distortum offenditur; labia jam in proboscidem prolongata, aut ad gustandum osculandumve disposita conspiciuntur; jamque facies modo in flendum prona, modo ad risum parata videtur quovis temporis momento varias vultus induens formas.

Collum modo tamquam columna riget, modo antrorsum, ut in cygnis, porrigitur, aut quasi resolutum huc illuc cum capite flectitur.

Truncus vario quoque utplurimum convellitur modo, emprosthotono nunc, nunc opisthotono aut pleurosthotono

correptus; interdum quiescentibus musculorum plurimis abdominales convulsione plectuntur, ventrem jam integrum, jam regionem umbilici solam propellendo retrahendoque vicissim.

Gravissimi tamen ac plurimi motus singulares observantur in extremitatibus.

Superiores enim mira saepe ratione, et veluti histrionis peritissima arte, diversissimas proferunt gesticulationes, quae haud raro tanta vehementia perficiuntur, ut luxationes inde miseri patiantur, quas tamen novis iterum motibus eodem mirabili modo natura ipsa sanasse in casibus pluribus observata fuit [1]. Sic natantis, volaturi, pugnantis, serrantis, aliosque, quin voluntas adnuat, motus immitantur diversos. Manus admodum agiles itidem aegrorum voluntati nonnisi inepte parent; rem enim quamdam comprehensuri, centenis demum in cassum peractis conatibus capessunt, captam vero aut mox digitis tremulis emittunt, aut alii, quam intendebant, loco admovent, donec per multos ambitus finem exoptatum adtingant.

Simili ratione et extremitates inferiores variis vexantur motibus. Jactitant enim, qui hoc morbo decumbunt, pedes in omne latus, crura modo velocissime tendunt, modo vi flexa ad nates usque retrahunt, femora modo divaricant, modo contrahunt, aut unum alteri imponunt, idque summa cum celeritate peragunt; rigentibus nonnunquam extremis, digitos pedum lusu diverso exercent, Quibus situs conceditur erectus titubant, trepidantque pedibus, et frequentem interdum in terram patiuntur lapsum. Qui vero malo leviori afflicti incedunt, extremitate alterutra, utplurimum sinistra, claudicant, eamque veluti paralysi confectam, modo post se trahunt, modo projiciunt, alterive implicant. Nunquam via progrediuntur recta, sed pedibus huc illuc jactatis semicirculos describunt, in partes diversas vacillantes; nonnulli acsi scalam adscendere vellent,

---

[1]) *Scherer* in Hufel. Journ. Bd. 3. p. 612. *Brückmann* ennarat. Choreae S. Viti et Epilipsiae. Francofurt ad M. 1768. p. 20.

pedes in via plana attollunt, alii saltantium more prosiliunt, aut saepe in distans, saepe in altum grave haud raro periculum minante subsultu feruntur, alii miram scandendi exhibent dexteritatem, dum alii cursu velocissimo, quin certam metam petant, pedibus auferuntur, donec ant figurae exanimis adinstar repente consistant, aut viribus exhaustis corruant.

Convulsionibus hisce in partibus externis obtinentibus, nec organa interna immunia evadere solent. Nam tinnitus aurium, pupillae dilatatio aut coarctatio, linguae varii vario modo vitiati motus, quae jam citra voluntatem porrigitur, jam citissime retrahitur, jamque in ore volutatur, ut loquela inde vel nulla, vel tantummodo obscura balbutiens afflicto contingat; faucium constrictio spastica et deglutio hinc praegravata, aut eousque impedita, ut cibi et potus vix assumti mox per os et nares rejiciantur, motus convulsivi in larynge reliquisque organis respiratoriis oborti, quibus vox in alias plerumque, quam aeger intendit, modulationes flectitur, aut miseri sonos articulatos non amplius proferre valentis acerrimum utut loquendi conamen clamore vel dissono vel profundo tantum suspirio interdum frustratur, respiratio porro anhelosa cum tussi atque singultu juncta, oppressio pectoris, cardipalmus cum pulsu plurimum parvo contracto, et summum nonnunquam, dum pulsus intermittunt, suffocationis minans periculum, ut taceam reliqua, id satis evincunt.

Praeter has aliasque innumeras motuum muscularium deviationes, quas conspicere licet, plures aliae, ob singularem formam memorabiles, observatae ab auctoribus referuntur. Sic *Tob. Dürrer* [1] aegrum Ballismo affectum vidit, cujus caput adeo reversum erat, ut vultus dorsum respiceret; alium *J. J. Wagner* [2] cujus caput mallei instar machi-

---

[1] Misc. Natur. Curios. Dec. III. ann. III. obs. 87.

[2] Ibidem, obs. 180.

nae hydraulicae vi rotati celerrime atque vehementissime concutiebatur. Secundum *Dorfmüller* [1] aeger saltu super aliorum capita ferebatur; *Albers* [2] plures capite praecipite circumvolvi (Burzelbaum machen) vidit. Huc pertinent casus, in quibus pedes adeo reflexi sunt, ut calces occiput [3] cervicem [4] attingerent, aut aeger tam vehemente opisthotono correptus est, ut piscis in pavimento positi adinstar per auram projiceretur [5] et hujus generis plura, quae cum rarissime occurrant, verisimilitudinem et omnem fere fidem superant adeo, ut quaestio moveri possit, an non magna ex parte exaggerationi aut scurrilitati aegrorum, vel aliis morbis potius, quam Ballismo tribuenda sint.

Motus illi convulsivi in aliis jam totum corpus, in aliis unum alterumve latus plerumque sinistrum, aut faciem aut extremitatem aliquam occupant, dum in aliis relicto uno latere in alterum, aut membra alternatim singula, aut alia tamquam decussatim corripiunt. Caeterum omnes, ut invito aegro fiunt, ita et nullo dolore plerumque stipantur, nec voluntas firmissima ad illos coërcendos quidquam valet, imo, quando vi ab adstantibus cohibentur, non solum in singulis musculis pertinacius haerere, sed etiam anxietatem nimiam, animi deliquium, et graviores in aliis locis convulsiones aegris consciscere consuerunt.

In sphaera operationum intellectualium in plerisque nulla alienatio obtinet. Aegri utplurimum ex integro sui conscii, interdum ad fatuitatem quidem declinant, aut ad enthusiasmum usque efferuntur; casus vero, in quibus conscientia prorsus deleta animadvertebatur, tum sine dubio solummodo locum obtinebant, quum morbus, de quo

---

[1]) *Hufel.* Journal 1813. Nov. p. 101.

[2]) Ibidem 1813. April.

[3]) *Jos. Frank* Prox. Med. Univ. Praecept. P. II. V. I. Sect. II. p. 250.

[4]) *Benniver* De abditis morborum causis. c. 8.

[5]) Misc. Natus. Cur. Dei. II ann. II. obs. 149.

agitur, cum epilepsia, phrenitide, aut alia gravi cerebri affectione complicatus, obvenisset. In casu saltem utroque, quem sub auspiciis clariss. atque celeb. D. C. R. Cons. *Stephan. Eman. Schroff* in clinico nostro prosperrimo cum eventu tractatum videram, aegros, utut convulsionibus universalibus detentos, semper mentis plene compotes observavi. Aliter autem res se habet respectu animi, qui vix non semper aliquam alterationem experitur. Aeger enim modo hilaris modo tristis, fere semper mobilis inter gaudia et fletus fluctuat, quin ejus rei rationem sibi reddere possit. Individua juniora, praesertim pueri, insolita hinc inde petulantia gesticulationes intendunt, aut alias nugas et ineptias agunt. Alii orant, cantant, jubilant, parentes aliosque caros vocant, alii comes ac mites sociis utuntur, dum alii phreniticorum in morem in circumstantes saeviunt, aut omnem societatem horrentes, ad loca deserta confugiunt, in tenebris salutem quaerentes. Adulti in genere gravius adficiuntur, ut qui atrae subinde melancholiae immersi, spe salutis suae dimissa, moerori haud raro succumbunt.

Vitae vegetativae conditio in singulis summopere variat, ut appetitus et digestio in aliis vigeant et nutritio debite procedat, in aliis adeo turbata conspiciatur, ut cum anorexia non raro pica, malacia, aut bullimia palescente simul facie et progrediente totius corporis emaciatione, alternet. Somnus absente complicatione, Ballismo laborantibus juxta plurimos auctores, compositis consuetim omnibus illegitimis motibus, quietus conceditur, in casibus rarissimis ipsum insomniis terrificis turbatum fuisse renunciant. Secretiones et excretiones haud raro ad normam procedunt, alias, praesertim cum sphincteres compatiantur, diversas experiuntur anomalias.

Ejusmodi itaque inter vicissitudines morbus vel distinctos celebrant insultus, vel eodem tenore, excepto somni tempore, quo, uti jam dictum est, omnia plerumque silent, cum aliqua ad vesperas consueto more ingruente exasperatione persistit, vel tandem, quod rarissime tamen

evenit, per plures dies et noctes, absque ulla quiete concessa aegros infestat [1].

Duratio singuli paroxysmi admodum varia est, modo enim horae dimidiae vel et longioris temporis spatium explet, modo scena integra vix decem minutis exacta est. Eadem ratione et singulorum insultuum recursus summopere variat, qui jam longiora jam breviora intervalla admittens, nunc semel, bis aut frequentius quotidie aegros solicitat, nunc pluribus diebus intermissis, vel et integro interposito mense, cum catameniis typum observans demum revertitur.

Finito quolibet paroxysmo aegri summam lassitudinem, temulentiam, et invincibilem in somnum propensionem percipiunt, cui satisfacientes inter largum plerumque sudorem profundo immerguntur somno, quo alii vel adeo recreantur, ut consueta iterum subire possint officia, alii vero fructum tam benignum inde non sortiuntur, novis quippe rursum vexandi insultibus.

Intermissionum tamen tempore vix unquam adeo bene valent, ac epileptici: tum enim modo de capitis dolore et temulentia, modo de anxietate et inquietudine conqueruntur, nec non animi vires labefactatae, nervorumque sensibilitas hystericorum more morbose adaucta comprehenduntur.

Decursus morbi in genere chronicus est, ex aliquot septimanis in menses, immo in annos perdurans, nec tamen desunt exempla, in quibus brevissimo tempore, aliquot peractis insultibus penitus evanuit.

Morbi a similibus differentia.

Ex magno morborum numero, quibuscum Ballismus ob formam suam admodum variabilem subinde commutatus est, Tarantismus, Epilepsia, et Raphania prae reliquis considerari merentur; ideoque momentorum, qui-

---

[1]) *Aug. Vogel*, Praelect. acad. etc. §. 503.

bus ab illo vel maxime differant, recensionem hic paucis adjicere operae pretium est.

Ballismi a Tarantismo differentia.

Tarantismus morbum sistit nervosum regionibus calidioribus proprium, quo homines sive ictu Tarantulae laesi, ut asserit *Baglivi* [1] sive potentiarum endemicarum influxu, ut alii contendunt, mensibus plerumque aestivis inexplebili ad certam melodiam saltandi nisu corripiuntur.

Secundum illius effata, in parte ab animalculo laesa, dolor oritur ingens, lacerans, fixus et constans, interdum fere omnis deletur sensatio, insurgitque ibidem tumor permagnus, qui percepta musica ab aegro ad saltandum avidissime desiderata, paucisque remediis pharmaceuticis adjuvantibus mox iterum evanescit.

Quamprimum aegri saltare incipiunt, per tres subinde horas saltare pergunt, quoad usque sudore profuso obruuntur; deinde lectum petunt, et postquam per horas aliquot somno profundo sopiti fuerunt, viribus refocillatis ad novos saltus se conferunt. Quando vero sub saltationibus sonos sibi ingratos percipiunt, gemunt, et spiritum anxie ducunt, manibus cordi simul impositis, acsi hoc organon maxime afflictum indicare vellent.

Melodia, quae aegris maxime adridet, Tarantella seu Aria Turchesa vocatur.

Inter saltandum ebriosorum more se gestant, et sensuum functionibus semper a norma aberrantibus, illorum, quae sub paroxysmo egerunt, non recordantur.

Nonnulli canunt, alii vociferant, alii rident, dum alii lacrymas fundunt, e. s. p. *Mathiolus* [2] hanc animi conditionis differentiam a varia veneni indole, quod per ictum Ta-

---

[1]) Dissertatio de Tarantula. Bolognae 1691.

[2]) Coment. in Libr. VI. Pedac. *Dioscoridis Anazarbaei* Com. in Lib. II. cap. 57. p. 199.

rantulae diversae speciei vulneri immissum fuit, repetendam esse, argute suadet.

Bagliv Apuliam morbi patriam designat, in qua regione etiam permultas conditiones ejus genesi faventes revera offendimus.

Nam clima fervidum, constitutio corporis incolarum sicca, stricta, capillis nigris atque colore faciei flavorubescente notata, animi inconstantia, temperamentum sanguineum aut cholericum, animi pathemata vires vitales excitantia, propensio in iram et amorem exaltatum cum phantasia reliquis mentis facultatibus exorbitante etc. organorum nobilium inflammationibus ac vesaniis tam facile ansam praebent, ut ad morbum similem excitandum, nec Tarantulae ictus requiri videatur.

Ex modo dictis gravem Ballismum inter et Tarantismum differentiam nemo non perspicit, etsi altera ex parte Tarantismum cum Ballismo mania stipato, qualis primum adparuit, maximam praeseferre analogiam negari non possit.

Differentia inter Ballismum et Epilepsiam.

1. Haec aetate provectioribus, ille junioribus insidiari praediligit.
2. Hanc aura epileptica per spinam dorsi ad occiput percurrens inter reliquos prodromos praenuntiat;
   in illo haec nunquam percipitur, nisi cum epilepsia complicatus occurrat.
3. Haec aegrum conscientia omni deleta humi prosternit;
   ille conscientia integra solum per inconcinnos motus.
4. Hujus sub accessu sensuum externorum et speciatim tactus functio ad imum depressa adparet,
   illius impetu frequentius morbosa ejusdem exaltatio provocatur.

5. In hac spasmi tonici ad ossium saepe fracturam obtinent, cum pollice semper in pugnum restricto;

   in illo spasmi clonici praevalent, pollice nunquam compresso.

6. Hujus stadium convulsivum vix ultra horam dimidiam perdurat;

   in illo convulsiones saepe per horas, imo per dies persistunt.

7. Haec semper stadio soporoso notatur;

   ille hoc penitus caret.

Ballismum inter et Raphaniam differentia.

1. Raphania ceu morbus gastrico nervosus nutrimentorum ex frumenti vitiosi farina paratorum progeniem sistit;

   Ballismus vero ex causis longe aliis infra exponendis originem ducit.

2. Raphania hinc utplurimum brevi post messem intrare, et nulli parcens aetati in epidemiam evolvi solet;

   Ballismus econtra consuetim sporadice obveniens nullam temporis vicissitudinem respicit.

3. Raphania semper peculiari, saepe dolorifico formicationis sensu eminet, qui per scintillas electricas excitato haud absimilis, jam solum in digitis manuum atque pedum percipiendus, jam per omnem organismum dispersus diu noctuque aegros divexat, morbum hunc prae reliquis stricte insigniens.

   Ballismus hoc symptomate prorsus destitutus, de nocte plerumque silet, de die vero aut insultuum vehementia fluctuans, aut perfecte intermittens periodice recurrit.

4. Raphania morbum semper sistens periculosum perfacile in epilepsiam, maniam, aut aliam quamcunque vesaniae formam transire aut cachexiis diversis ansam

largiri, praecipue vero gangraena extremitatum stipari consuevit;

Ballismus vero, nisi infausta complicatione aut longa durätione obstante, absque difficultatibus plerumque in sanitatem convertitur.

Morbi divisio.

Norma hujus scopo practico potissimum a praevalente morbi charactere, diverso intensionis gradu et ex varia ejusdem ad spatium, tempus et momenta causalia relatione repetitur.

Dividitur proinde Ballismus:

I. Quoad characterem

1. in activum seu hypersthenicum sive cum virium vitalium in genere excessu.

Hic iterum, prout vires vitales in toto organismo, vel in systemate sanguifero, aut in systemate nervorum eminenter exorbitant, subdividitur:

a) in activum cum hypersthenia universali;
b) — — plethoricum, ubi hypersthenia ad systema sanguiferum;
c) — — erethisticum, ubi eadem ad systema nervosum restricta occurrit.

2. in passivum vel asthenicum sive cum virium vitalium defectu.

Discedit hic, prouti vires vitales revera deficiunt, et quidem vel cum torpore, vel cum erethismo, aut solummodo suppressae sunt, et deficientes adparent:

a) in torpidum, cum asthenia vera, indirecta;
b) — — cum debilitate spuria;
c) — passivum erethisticum ex debilitate vera oriundum cum sensibilitate adaucta.

II. Quoad intensionem.

1. in levem, convulsionibus mitioribus, ad quasdam solummodo corporis partes limitatis conspicuum; huc spectant: convulsibilitas sec. *Schmalz*, Chorea S. Viti sec. *Sydenham* et morbosa irritabilitas sec. *Schäffer* et *Pfündl.*
2. in gravem, motibus convulsivis vehementia et numero adauctis insignem, e. g. magnus a cel. *Wichmann* observatus, somnambulisticus, epilepticus, insaniens sec. cel. *Bernt.*

III. Quoad spatium.

1. in universalem, omnibus corporis musculis plus minusve affectis;
2. in partialem, singulis tantum organis aut musculis morbo correptis, e. g. in facialem, brachialem etc.

Habito momenti utriusque respectu, quoad convulsionum modum, et corporis paroxysmum patientis situm, a nonnullis dispescitur: in Ballismum sedentarium, statarium, saltatorium, gesticulatorium, tremulum, circumrotatorium e. s. p.

IV. Quoad tempus.

1. in continuum, convulsionibus eodem tenore (demto somno) perdurantibus;
2. in remittentem, symptomatibus per intervalla, vi et copia mitioribus;
3. in intermittentem, paroxysmis statuto, vel quod saepius accidit, indeterminato tempore recurrentibus.

V. Quoad causas:

1. in idiopathicum, causarum immediato in nervos influxu provocatum, e. g. ira, terrore etc.

2. in sympathicum, causis mediate per consensum aut antagonismum ex organo primarie afflicto in illos agentibus oriundum, e. g. scarlatina, variolis nimis ferocibus etc.
3. in metastaticum, ut ex efflorescentiis cutaneis repercussis, menstruis, haemorrhoidibus suppressis etc. excitatum;
4. in symptomaticum, alius morbi tantum symptoma sistentem, e. g. hysteriae, maniae etc.

Aetiologia.

1. Causae disponentes.

Dispositione in Ballismum eminent individua aetate teneriora, delicatula atque debilia, quibus cum sensibilitate nervorum nimia, adaucta inest musculorum irritabilitas. Homines proinde habitu sic dicto nervoso notati, ideoque structura corporis tenera, cute nitida, musculorum gracilitate ac mollitie, ossium tenuitate, ac reproductione minus vivida insignes, ad illum prae reliquis dispositi sunt, puellae tamen magis, quam pueri, praeprimis circa pubertatis annos.

Dispositio haec peculiaris subinde haereditaria est, vel et connata, multo frequentius vero per educationem perversam, ineptamque vivendi rationem acquisita observari licet.

Sic continua in cubilibus nimie calidis mora, quorum aër raro renovatur, anxia temperaturae adversae evitatio, neglecta cutis cultura, aut balneorum calidorum abusus, vestimenta nimis calida, strata e plumis parata, vita sedentaria, cibi parum nutrientes, abusus potuum tepidorum, spirituosorum aut narcoticorum, incongruus purgantium usus praecipue continuatus, librorum eroticorum lectio, eaque veneris cupiditas praecocius excitata, praematura aut indefessa mentis intentio, aliave similia, quibus normalis systematis nervosi conformatio turbatur, nervo-

rum firmitas dissolvitur, atque abnormis mollities stimulorumque impatientia provocatur, ad istam evolvendam augendamque plurimum conferre jure accusantur.

Aetatis respectu *Sydenham* et *Wichmann* pueros tantum atque puellas a decimo anno usque ad pubertatem Ballismo affligi contendunt. Huic tamen asserto, quamvis illa evolutionis periodus, uti jam supra innuimus, ob erethismum praevalentem in hoc malum maxime praedisponat, casus observati plures, in quibus infantes multum infra, et adulti longe ultra aetatem hanc designatam correpti fuerunt, contradicunt.

Eadem ex causa, nempe propter majorem versilitatem, et sexus sequior prae virili, et quidem omnium maxime puellae circa periodum catameniarum ingruentium ad Ballismum inclinant. Sic *Reeve* inter octaginta quatuor aegrotos viginti septem, *Thilenius* inter viginti unum, quatuor tantum masculos numerabant. Cel. *Bernt* rationem inter sexum utrumque ut 5: 1 perhibet.

Etiam clima rigidum huic morbo magis opportunum esse, quam calidum, a nonnullis refertur. Hinc *Jos. Frank* plures Ballismo affectos in Lithavia, quam in Austria et Lombardia offendit.

Diathesin scrophulosam et rachitidem ad Ballismum nec minus praeparare auctores hinc inde volunt.

Quaecunque igitur systema nervosum modo directo aut indirecto debilitant, eique stimulum morbosum injiciunt, huc referenda veniunt.

2. Causae excitantes.

Quas morbo, de quo nobis sermo est, provocando pares habemus, causae excitantes in mechanicas et dynamicas discedunt.

A. Dynamicis adnumerantur:

a. Graves quicunque animi motus et affectus, inter quos terror, ira, timor, amor infelix, tristitia ni-

mia [1], sed et gaudium vehemens improvisum [2], primum sibi vindicarunt locum.

b. Singulares nervorum affectiones, jam in variis evolutionis periodis, uti primae et secundae dentitionis, pubertatis, menstruationis, conceptionis, graviditatis etc.; jam ex singulari impressione, quam Ballismo laborantis adspectus, imitatio aut simulatio in aliis caeteroquin sanis producit; aut per idiosyncrasiam, e. g. contra sonum campanae [3], usum ostrearum [4] etc. excitari solitae.

c. Venena, vel medicamina heroica incaute adhibita, uti Hyosciamus [5], Dat. Stramonium [6], Mercurius [7], Plumbum [8] etc.

d. Humorum varia, quoad quantitatem et qualitatem vitia: plethora tam universalis, quam partialis, congestiones praesertim ad medullam spinalem et partes adjacentes activae, aut ipsae harum partium inflammationes, vel in contrarium keneangia, cachexiae et discrasiae diversae, imprimis scrophulae et chlorosis [9].

Huc quoque spectant humorum evacuationes, quibus assuetus fueris suppressae, sive sanae sive morbosae sint, uti sudoris frigore, menstruorum, lochiorum, haemorrhoidum, epistaxis suppressio, ulcera,

---

1) *Stoll*, rat. med. P. III. p. 405. *P. Frank*, epitom. de cognosc. et cur. hom. morb. Vol. VII. p. 76.
2) *Hufeland*, Journal 1819. 5. St. May.
3) Misc. Nat. Cur. Dec. II. ann. II. obs. 149. p. 326.
4) Misc. Nat. Cur. Dec. II. ann. VIII. obs. 194. p. 493.
5) *Hufeland* Journ. B. X. St. 3.
6) *Boërhave*, praelection. acad. de morb. nervos. Tom. II p. 373.
7) *De Haën*, rat. med. P. III. p. 202.
8) *Percival*, Samml. auserl. Abhandl. Bd. 2. St. 2.
9) *Eodem*; Bd. 10. 1. St.

efflorescentiae cutaneae, imprimis tinea capitis, suppressae aut praematurae sanatae [1] etc.

Nec minus jactura sanguinis naturalis vel artificialis nimia, galactirrhoea, diarrhoea, spermatorrhoea spontanea aut voluntaria illis accensenda est.

c. Vitia in primis viis haerentia, colluvies pituitosa [2], biliosa, acida, helminthiasis [3], digestio per cibos et potus quantitate aut qualitate nocivos turbata [4].

f. Functio et conditio genitalium abnormis: Veneris usus praematurus, nimius, onania [5], nisus sexualis invita natura coërcitus [6], inflammationes [7], et metamorphosis horum organorum aliena [8].

B. Inter mechanicas referuntur:

a. Irritamenta externa: Titillatio pedum, axillae etc. protracta, pediculi in infantibus nimis aucti, fasciae strictae, indusia justo duriora, moxa praepostere adhibita etc.

β. Irritamenta interna: Vermes intestinales, calculi urinales, fellei, vitia organica, tophus cranii aut columnae vertebralis, apostema, steatoma cerebri et medullae spinalis, scoliosis, cyphosis, lordosis.

γ. Vulnera et contusiones capitis et columnae vertebralis, luxationes brachii, aliaque innumera auctoribus Ballismi causa fuisse traduntur.

---

[1]) *P. Frank*, de vertebr. colum. morb. dignit. Orat. acad. 1791. Paviae.

[2]) *Stoll*, l. c. p. 416.

[3]) *Stoll.* op. oct. Wendt, Nachricht von dem Krankeninstitute zu Erlangen. Nachr. 5 u. 6. 1786.
Baldinger, neues Magazin. Bd. 9. p. 185.

[4]) *Venend.* med. Jahrbücher l. c.

[5]) *Fr.* nob. ab *Hildenbrand*, annal. Ticinens.

[6]) *Venend.* l. c.

[7]) *Diction* d. sc. med. l. c.

[8]) *Richter* op. c. p. 586.

3. Causa proxima.

Quemadmodum natura spasmorum interna generatim, ita et Ballismi causa proxima in specie hucdum aenigma est, quamvis ingenium medicorum celeberrimorum omnis aevi ad illud solvendum indefesso labore incubuerit. Quod status dynamico-organicus systematis nervosi peculiari modo abnormis sit, hoc omnia morbi symptomata indicant, sed quae pars systematis nervosi, et qua ratione a tramite deflectat, hoc adhuc obscurum est. Experimenta quidem physiologica praecipue a *Rolando* et *Flourens* instituta docent, ad motus voluntarios perficiendos concurrere imprimis cerebellum; experimenta autem a *Bell*, *Shaw* et *Magendie* facta extra dubium ponunt, nervos spinales anteriores motibus provocandis destinatos esse; ideo summe probabile est, in Ballismo statum dynamicum jam cerebelli, jam medullae spinalis peculiari modo abnormem obtinere.

Prognosis.

Ballismus in genere praesagium faustum admittit; molestus enim magis, quam periculosus utplurimum artis auxilio congruo, vel, quod rarius evenit, obsecundantibus reliquis rerum adjunctis, solius naturae medicatricis conamini cedit ita, ut neque recidivus, nec alius timendus sit morbus secundarius. Momenta vero praecipua speciatim illius prognosim determinantia, partim ex aegri individualitate, partim ex morbi diversis causis, indole, gradu et modificatione scaturiunt.

1) Quoad subjectum: Tenelli, qui jure haereditario illum sibi acquisiverunt, longiori decursu, altiori gradu, nec non majoribus sanationis obstaculis, et frequentioribus recidivis plectuntur; etiam adulti difficilius et rarius absque malis relictis sanantur, causas enim organismo profundius infixas, tardiusque exstinguendas utplurimum fo-

vent. Faustiorem admittunt prognosim individua juniora, absque labe haereditaria, circa pubertatis annos Ballismo detenta; hoc enim ingressa plerumque sponte sanitatem recuperant. Magna ac saepe vix devincenda, huc inculpanda educatio, vitae genus, et consuetudines pravae, pertinaciter asservatae, medelae prosperae obstacula ponunt.

2) Quoad morbum: Quo plures potentiae nocivae ad Ballismi genesim conspirant, eo gravior nascitur effectus. Inter omnes causas genitrices pessima sunt vitia organica. Ballismus refrigerio exortus reliquis citius cedit; qui sordibus gastricis aut vermibus suam originem debet, eliminatis his inimicis plerumque brevi fugatur; quem exanthema aut impetigo suppressa, ulcus praemature sanatum, excretiones retentae protulerunt, nonnisi his restitutis superatur; quem intoxicatio per hydrargyrum aut plumbum sustinet, contra medelam admodum obstinatus in tremores et paralyses non raro defatiscit; masturbationis crimine inductus, tabis dorsalis et febris hecticae metum incutit; ex animi pathematibus inprimis deprimentibus oriundus, curae optimae haud raro pertinacissime resistit.

Caeterum partialis facilius, quam universalis, activus, paroxysticus et recens obortus potius, quam passivus, continuus, atque inveteratus tractamine congruo tollitur.

Therapia.

Haec, antequam morbum ipsum adgrediatur, eo adtendat necesse est, ut aeger ab omni laesione, quam aut sibi aut aliis per inconcinnos motus inferre possit, sollicite praecaveatur. Necessariis demum hunc in finem circumspecte dispositis, remissionum tempore potissimum, quae malo ipsi fugando inserviant, secundum generales therapiae rationalis leges propinanda veniunt.

Ideo, ut causae nocentes arceantur, et in morbo proposito prima atque summa indicatio urget. Si itaque evolu-

tio corporis morbi exorti culpam gerit, illa victu congruo, moderato corporis animique exercitio etc. promovenda; dentium proruptio impedita levi gingivae incisione, connuptis simul remediis aptis sublevanda; irritamenta gastrica, acida, acria, vermes, venena pro re nata emeticis, purgantibus, anthelminticis evacuanda, antidotis specificis destruenda et obvolvenda sunt. Perspiratio cutis suppressa, efflorescentiae cutaneae repercussae, ulcera intempestive sanata, medicaminibus convenientibus et regimine congruo revocanda, fluxus catamenialis quocumque modo turbatus, ad normam reducendus; evacuationes excedentes et profusa humorum nobilium jactura, aeque singulis casibus convenienti methodo restringendae erunt. Praecipuam hoc intuitu attentionem requirunt menstrua ex libidine profusa, et seminis per masturbationem enorme dispendium; ubi haec in culpam vocanda sunt, praeter congruum tractamen cura psychica severa et vigil desideratur. Eadem ratione et animi motus, imitandi et simulandi nisus modo aptissimo compescantur oportet. Laesiones vero mechanicae sicuti vitia organica chirurgiae legibus respondentem curam exposcunt.

Remota causa morbus haud raro cessat, tumque medenti nihil curae erit, nisi ut superstites tollantur effectus; si vero causa ejus est indolis, ut lateat medicum, aut quae amoveri nequeat, aut dispulsa diuturnum ponat morbum; dein therapia rationalis indirecta, ut votis satisfaciat, necesse est.

Haec methodo virium vitalium statui semper accommodata, organismum ita disponat, exigitur, ut molimine suo morbum devincat, cujus radicem subtiliorem pharmaca via directa tangere non valent.

Hinc Ballismum virium vitalium excessu notatum, debilitantibus infringere; plethorae universali generalem, localem partiali sanguinis evacuationem opponere juvabit. Ubi suspicio congestionis ad medullam spinalem activae aut hujus vel partium adjacentium inflammatarum indicia adparent, hirudines ad spinam dorsi adplicare, et infricto eodem loco

Tartaro stibiato humores extrorsum allicere expediet. Respondebunt quoque huic scopo pro morbi gradu modo eccoprotica, modo purgantia, antiphlogistica fortiora vel ipsa hinc inde drastica. Venae sectionibus saepenumero institutis, interpolatis purgantibus, Sydenham plures Choreas sanavit. Topicam sanguinis detractionem ope hirudinum vel cucurbitarum cruentarum, quas retro processus mastoideos adplices, ut efficacissimam suadet *Broussais.*

Qui vero virium vitalium defectu sustentatur Ballismus, remedia diversa stimulantia et roborantia sibi exposcit, ut; Flores Chamomillae vulgaris, Aurantiorum, Cardamines pratensis, radicem Valerianae silvestris, Arnicae, Artemisiae vulgaris, folia Aurantiorum, succum Sempervivi tectorum, remedia amaricantia, praeparata Chinae, Martis etc. *Plenk,* summis laudibus effert herbam Chenopodii ambrosioidis in pulvere scrupulum semis, unum, bis vel ter de die, aut forma infusi ex drachmis duabus usque unciam semis parati ad colaturam unciarum sex, ut omni bihorio duobus cochlearibus sumatur. Alias Camphora, Castoreum, Asa foetida, Ol. animale Dupelli, Moschus, quem *J. Frank* commendat in connubio cum Calomela insignem efficaciam exserunt. Etiam narcotica, uti: Opium, Hyosciamus, Aqua Laurocerasi et Belladonna egregium subinde effectum praestitisse referuntur.

Frequentissime vero methodo alteranti Ballismus cedere consuevit. Hinc emetica dosi refracta exhibita, prae reliquis autem remedia ex regno minerali petita: Flores Zinci, Magisterium Bismuthi, Tartarus emeticus, et Sulphas Cupri ammoniacalis specificorum nomen in tractando Ballismo sibi comparaverunt.

Flores Zinci, in omnibus motibus convulsivis quondam optimo cum fructu adhibiti, testimonio celeberrimorum medicorum et nostris diebus inter remedia contra Ballismum primum occupant locum. *Hufeland* illorum, cum oleo Cajeput et Valeriana connubium laudat.

Magisterium Bismuthi, qua praeclarum in Chorea medicamen commendat celb. *nob. a Raimann.*

Tartarum emeticum encomio sequenti celebrat cel. *Fr. nob. ab Hildenbrand*: „Tartarus emeticus dummodo generosa manu debitisque cautelis usurpetur, in plurimis nevrosibus, maxime ubi directae therapiae non conceditur locus, tantam exserit efficacitatem, ut vix non cunctis remediis ex classe stimulantium vel narcoticorum petitis palmam facile praeripiat. Etiam in morbis medullae spinalis et speciatim in Chorea S. Viti praestantiam Tartari stibiati saepenumero compertam habuimus. Verum tamen aegri hujus generis nunquam tantas perferre valent doses, quales in morbis cephalicis impune exhiberi solent. Beneficum agendi modum imprimis ex antagonismi legibus atque metasyncriticis in organismo conversionibus explicari posse arbitramur."

Sulphas cupri ammoniacalis *Boerhavio, Swietenio* aliisque contra morbos convulsivos multum praestitit, contra Ballismum attamen rarius, quam remedia praegressa inclaruit.

Argentum nitricum fusum et Arsenicum referente celb. *Bernt* etiam hinc inde cum successu in Ballismo adhibita fuerunt; heroica tamen haecce remedia vix unquam, ac nonnisi in Ballismo summe rebelli et omnibus frustra tentatis in usum vocare licebit.

Inter remedia externa Ballismo saepe cum fructu opposita perhibentur: frictiones cutis in regione spinae dorsalis linteis calidis, variis oleis aethereis, balsamis, spirituosis, aetheribus, camphora etc. imbutis instituendae, porro rubefacientia, sinapismi, vesicantia ad nucham, clysmata antispasmodica, lotiones aromaticae, balnea universalia, jam simplicia, jam aromatica, jam alcalina, sive tepida sive frigida, ubi roborare convenit, martialia. Tandem et galvanismus, nec non magnetismus animalis et magnes mineralis a practicis in gravioribus Ballismi casibus ut remedia summe efficacia laude eximia coronantur.

Regimen diaeteticum.

Requiritur, ut regimen diaeteticum therapiae correspondeat, ne alias artis conamina irrita reddantur. Cum vero illud pro varia aetate, sexu etc. summopere variet necesse sit, ideo tale, quod omnibus casibus conveniret, adducere perarduum est. In genere tamen praemuniantur a frigore extremitates, transpiratio libera et aequabilis sustentetur, vitandus vero nimius calor, sensibilitatem nimis intendens. Aër cubilis sit purus, hinc studiose renovandus. Proderit multum, ut aegri status concedit, commotio corporis in aëre libero, ac ipsa rusticatio tempore et loco accommodo. Vitandi sunt cibi dyspepti, caro fumo durata, porcina, legumina; praeferantur carnes animalium juniorum, olera saccharo, mucilagine scatentia. Potui inserviat vinum aqua dilutum, aut cerevisia tenuis probe parata, infusum foliorum Aurantii, salviae etc, dispositione plethorica praesente, aqua pura fontana, decocta emollientia, serum lactis etc. Somnus non narcoticis, sed exercitatione corporis cieatur, nec statim post cibum assumptum capiatur. Animi affectus et pathemata vehementia vitanda, adfectus moderati salubres excitandi, quod et musicae artis ope contingit, et lusu et colloquiis gratis. Alvi urinaeque excretio libera servanda, et tarditatae alvo non purgantibus, sed victu potius potuque conveniente aut clysmatibus prospiciendum erit.

Cura reconvalescentiae.

Silentibus symptomatibus morbi cura non illico negligenda est, facile enim symptomata molesta revertuntur, hinc causae excitantes individuales longo tempore sollicite arceantur necesse est, et prouti character morbi energicus fuerat, regimen antiphlogisticum diutius continuandum, aut si adynamia insignis erat, viribus vitae regimine roborante, aptisque pharmacis eousque succurrendum erit, donec energia normalis restituta fuerit.

Literatura.

Sydenham, Opera omnia. Tom. I. Genev. 1698.

Spangenberg, Dissert. de Chorea S. Viti. Götting 1764.

Beer, Dissert. de Chor. S. Viti. Viennae 1769.

Mead, Opera omnia. Tom. I. Gött. 1771.

Vogel, R. A. Praelect. acad. de cogn. et cur. praec. c. h. affect. Gött. 1785.

Schraud, Beobacht. a. d. Arzneyk. Wien 1792.

Hopfengaertner, Bemerk. über menschl. Entwickl. etc. Stuttgart 1792.

Wichmann, Ideen zur Diagnostik. 2. Thl. Hannover 1800.

Beobachtungen der k. k. med. chirurg. Joseph. Academie. Wien 1801.

P. Frank, Epitom de cur. hom. morb. Vol. VII. Viennae 1805.

Salzburger med. chirurg. Zeitung. Bd. 2. 1806. Bd. 4. 1808.

Bernt, Monographia de Chorea S. Viti. Pragae 1810.

Swediaur, Jatrike. Tom. I. P. II. Halae 1812.

Hildenbrand, Fr. nob. ab, Annal. Ticin. Paviae 1826 — 1830.

Sohler, J. A. Abhandlung über den Veitstanz. Wien 1826.

Richter, A. G. Specielle Therapie. Wien 1830.

Haase, W. A. Uiber Erkenntniss u. Cur der chron. Krankheiten. Bd. 2. Wien 1830.

Stoll, Max. Ratio medendi in Nos. pract. Vindob. Viennae 1830.

Raimann, J. nob. a, Principia Path. ac Therap. spec. med. Tom. II. Viennae 1835.

Theses defendendae.

I. Vis naturae medicatrix summum artis medicae fulcrum.
II. Morbos non solummodo sanare, sed etiam praecavere medici est.
III. Deprimens animi pathema et mentis aciem obtundit, et organismum ad morbos plurimos disponit.
IV. Ut sit mens sana in corpore sano, utriusque vires pari ratione excolantur necesse est.
V. Cultura morborum numerum augens — perversa.
VI. Urbes morborum castra.
VII. Vena portarum, porta malorum.
VIII. Dolor vitae custos.
IX. Absque diaeta medicus fere inermis.
X. Catarrhus nunquam morbus levis censendus.
XI. Cura alterans in nevrosibus summi momenti.
XII. In neonatis remedia externa longe praevalent internis.
XIII. Fasciatio infantum summe noxia.
XIV. Cognitio amauroseos difficillima.
XV. In haemorrhagiis ligatura arteriae isolatae contorsioni longe praeferenda.
XVI. Remedium anceps, urgente periculo, melius quam nullum.
XVII. Mater caeterum sana, ubera denegans proli, matris fortuna et nomine indigna.
XVIII. Hysteria lapis Lydius patientiae medicorum.
XIX. Metus et terror quam maxime morbos epidemicos et contagiosos propagare valent.
XX. Morbum therapia simplicissima sanasse maxima medici gloria.